

quod idem est ipsum Sal Tartari, statim hoc Sal fixum, arripiet Acidam Tartari crudi partem, & prout ante in Sale-ammoniaco, ita & hic liberabit Alcalicam volatilem. Ex qua Salium inter se pugna atque actione, bullæ uvarum instar excitabuntur. Repetenda verò hæc calcinati Tartari injectio, usque dum omnis fermentatio cesset, ad Punctum scilicet Saturationis usque, quod nisi benè observetur, varia incommoda operantem impediunt. Alcali verò hoc volatile mediante Tartaro calcinato ab Acido suo liberatum, prout Urinosum Salis ammoniaci statim a volabit. Quod si ergo hic spiritus volatilis destillatione statim excipiri posset, is reverâ Sal Tartari volatile præberet, præsertim quando lege artis phlegmate suo, per quod spiritus est, privaretur, atque sine alieni additione in Sal coagularetur. Hoc verò propter sequentem potissimum rationem fieri non potest; Antequam omnis fermentatio, motusque particularum Salinarum cessârit, mistura hæc cucur-

cucur-